

ELOGIUM
ABRAH. GOTTH. KAESTNERI

IN CONSENSU SOC. REG. SCIENTIAR.

RECITAVIT

C. G. HEYNE

D. XXVIII. IUNII MDCCCLXXXVIII.

Me post Gattererum, in Collegio et Sodalitio proximo loco et voluntate mihi coniunctum, nunc etiam Kaestnero, populari, et Collegae et Sodali, superstitem parentaturum esse, etsi aetatis ratio et naturae lex monere poterant, nunquam tamen animo et cogitatione praeceperam, quandoquidem ille firmiore valetudine ingenique vigore me anteibat, ego vero, etsi decennio aetatis interiecto, haud paribus passibus eum sequebar.

Verum in hac vitae humanae fragilitate quos tandem calculos subducere licet, quos non improviso et inexpectato conturbet seu fortunae casus seu sortis humanae lex, nostrae sagacitati nullo modo assequenda. Hoc illud est, quod, cum futuros casus praevidere haud possimus, suadere potest, ut vivamus in diem, spes longas refecemus, properemus vivere, singulos dies singulas vitas aestimando.

Si quis alius, Kaestnerus ille fuit, qui vitae usum bene nosset, vivendo vivere disceret, horas ac dies ita exigeret, ut relinqueret sui monumenta, quibus, se vixisse, testatum faceret. Litterarum ille, gravissimarumque disciplinarum, studiis addictus, mature se ita composuerat, ut nullam vitae partem studio vacantem effluere sineret, temporis autem usum rectum et cautum inter prima sapientiae praecepta et vitae officia referret. Quumque vitam litterariam esset amplexus, ab omni vitae publicae actu se reuocans studiis suis se totum ita consecravit, ut iis prosequendis vnice vacandum esse constitutum haberet. Ad quae studia quomodo ille delatus fuerit, quidque effecerit, ut ille et in iis principatum consequeretur et cum iis tam varias doctrinae opes coniungeret, agite, A. A. paucis dispiciamus.

ERUD.

X

In

Biogr. erud.

D. 1598,8

V. Erud. Hist. Vol. Kaestner

In summa ingenii felicitate, qua in puerilibus statim annis insignis admirabilisque visus erat, ita ut inter praecocioris ingenii pueros referretur, eam nactus erat disciplinam domesticam, ut in parentum tutela singulari, cum nullam aliam sobolem suscepissent, omnisque cura in eo nutriendo ac fovendo contineretur, ille viveret, nunquam alterius curae, nec institutioni publicae traditus, in fortuna nec lauta nec nimis tenui, matre ad industriam et frugalitatem composita matrona, patre autem Iurium Doctore Iuriumque disciplina tradenda lectionibusque privatis habendis familiae alendae curae totum se consecrante; ita ut etiam puerum partim ipse sua opera institueret, partim sermonibus proficuis ingenium excitaret et notiorum varietate locupletaret. Accedebat auunculus maternus, qui et ipse vir doctus erat, causis agendis clarus, et linguarum recentiorum aetatum peritus, bonorumque librorum copia instructus, qui caritate nepotem singulari complectebatur. Ita evenit, ut puellus domestico exemplo usque mature adsuesceret vitae in litterarum studiis intra domesticos cancellos exigendae, cum ab externis rebus, quae ad vitae iucunditates et voluptates animum mollem deflectere et auertere possent, intactus et intentatus maneret.

Ita ille, inter lusus pueriles et disciplinam nec nimium severam, qua ex studii assiduitate intempestiva corporis vires debilitarentur, nec nimis remissam, qua inertia ipsa et mollitia corumpere, ad iuvenilem aetatem progressus, duo habuit vitae praesidia, raro naturae et fortunae munere; primo, quod valetudine prospera et inoffensa semper est usus, tum vero, quod in fortunae nec affluentia nec tenuitate constitutus, aequabili vitae generi assuetus et studiis litterarum disciplina domestica exemploque imbutus, animum a molestis curis vacuum vnice studiis dicare potuit. Quod enim multorum, qui studiis litterarum vitam consecrarunt, corpora viresque infringit, valetudinemque infirmat, non tam studii est assiduitas, quam aut animi curis sollicitudinibusque de vitae studiorumque subsidiis afflicti aerumna, aut victus cultusque tenuitas, aut vitae casibus grauibus oppressae difficultas. Is itaque, cui divinae alicuius providentiae beneficio ea contigerunt, quibus liberatur a curis mordacibus animus, si in studiis litterarum cum ardore aliquo versatur, non habet magnopere, quo timeat, ne, libris insudando, corporis valetudini officiat, dummodo nec in contraria delatus, vitae praesidiis opibusque nimium lautis instructus, aut se instructum esse arbitratus, modo voluptatum illecebris fasciatus cibo potuque se ingurgitet, modo inertia et desidia corpus molliat. Kaestnerus itaque in fortunae

tunae

tunae mediocritate constitutus, quae neutram in partem conspicua esset, ad vitae nec voluptates nec curas auocatus, etsi in vita sedentaria, facile retinuit animi illam libertatem et hilaritatem, qua ad risus ac facetias pronior esset.

Quod Kaestneri ingenium in hoc parentum auunculiue tanquam contubernio, domesticaque solitudine, imprimis finxisse igniculosque excitasse credendum est, est lectio librorum multa ac varia: cuius ille avidissimus infinitarum rerum notiones mature arripuit, quas maturiore ingenio et disciplina seueriore accedente pro materia parata habuit, qua disciplinarum praecepta et placita, quae seu vniuerse seu subtiliter tradebantur, statim tanquam succo et vita idoneis rerum exemplis explere posset. Eadem solitudo domestica puerum, lectionis et rerum variarum scientiae cupidum, coegerat multa, doctore non adhibito, proprio et intentiore studio assequi et condiscere, quae res acuebat ingenium, et studium ipsum indies accendebat. Nunc, in disciplina et institutione puerili, grauissimo malo laboramus hoc, quod in rebus tradendis, illustrandis et enucleandis nimis seduli sumus, nihilque, aut parum, relinquimus ingeniis studiisque intentioribus: etsi haec aevi nostri inertia et segnities metum facile iniicit, si id non sequi vellemus, progeniem nostram omnino litterarum rudem esse futuram. Ex memorata ista disciplina ingenium Kaestneri, etsi natura acre, ardens, viuendum, habilitatem tamen habuit ad seueriores disciplinas, et sequioribus annis, cum mathematicarum disciplinarum, inque his astronomiae, nondum ea aetate tot et tanta ad manum essent instrumenta et adiumenta, quam quae nostra aetate reperta sunt, cumque nec ipsi doctores, quibus Kaestnerus usus est, his adminiculis copiisque essent admodum instructi, eadem assuetudo et usus Kaestnero profuit, ut sagacitate sua reperiret ea, quae deficientibus melioribus adiumentis substitui possent.

Litteris ita a puero innutritus Kaestnerus secunda aliqua fortuna alia habuit sibi prospera, quae plerique habent aduersa. Cum Lipsiam haberet patriam, in ea vrbe enutritus, quoties magistri quaerebantur, magistros habuit in quouis genere praestantissimos, et exempla, quae aemularetur, et praesidia studiorum amplissima. Obtigit ei porro hoc, ut, etsi a iurium disciplina studia exorsus, mature tamen studiis iis totum se tradere posset, quibus ille seu natura factum seu usu imbutum ingenium habebat. Mature quoque academicae vitae, cui se addixerat, totum se ita tradere potuit, ut docendo rerum tradendarum usum et peritiam sibi pararet, idemque,

domesticis opibus aliqua ex parte saltem subnixus, quibus alii prorsus destituti ad rem familiarem parandam et ad alia studia abstrahuntur, necesse non habuit, confestim victum disciplina tradenda quaerere, aut ad quascunque disciplinae partes, temporum necessitate et lubitu aliorum ac desiderio abstractus, aberrare. Verbo, obtigerant ei omnia, quibus vitae academicae cursus faustis auspiciis iniri posset.

Inter haec vita eius inciderat in ea tempora, quibus sermonis patrii antiquus squalor abstergebatur. Delatus ille fortuito in Gottschedii disciplinam, ingenio alacri et festiuo mox ad remissiora litterarum studia conuersus sermonis quoque patrii elegantiam poesinque coluit, inprimisque genus illud leporis festiuitatisque est sectatus, quo tantum sibi nomen inter omnes consequutus est, vt plurimis hominibus multo magis facetiis salibusque notus esset, quam iis disciplinis, in quibus facile princeps erat. Quod si iis paullo incautius interdum indulgit, condonandum id est naturae humanae imbecillitati; difficile enim est, modum tenere in iis, in quibus te videas admirationi esse aliis; quod si illud ipsum, quo admirationem moueas, ita comparatum est, vt magnum hominum numerum ad se conuertat, vtque vulgus doctum indoctumque plausus edat: quis non, vel placendi aliis studio, vel ingenii obsequiosa facilitate, abreptus etiam vltra oleas euagetur! Quanto facilius est laudis faemaeque praestigias ex suo, non ex aliorum iudicio, aestimare in grauioribus studiis, in quibus non nisi viros graues, doctos et seueros habeamus, quibus probari nos volumus et quibus studia nostra probari sentimus.

Cum ille sermonis patrii vsum aliquem disciplinis grauioribus adiunxisset, interque eos, qui studio sermonis patrii emendandi et excolendi inclarauerunt, nomen aliquod Kaestnerus quoque haberet: opportunitatem ea res aliam attulit, vt, cum ab institoribus librariis quaereretur vir doctus, qui exterorum scriptorum libros, disciplinarum seueriorum argumentis alios, ad operam hanc promtos paratosque, deterrentes, in teutonicum sermonem transferret, Kaestnerus ille esset, quem vno ore omnes nominarent, et ad quem talis opera deferretur; ita ille et sermonis vsum expeditiorem et rerum variarum copiam maiorem, et calami facilitatem aliquam, ingenique promptitudinem mirabilem est assequutus; quae res insignes utilitates ad multas alias res habuit. Dum itaque tot volumina ex Suecico, Anglico, Gallico, Belgico, sermone in vernaculam linguam vertebat, locupletati ingenii et stili, si non castigatissimi, satis tamen seueri, salubris, sententiis congrui, haud impediti, nec affectati, nisi forte

forte

— — — — —

5

forte interdum, cum facetias et sales captaret, fructus abstulerat, quibus ille in scribendis libris disciplinarum mathematicarum et physicarum merito auctor habitus est sermonis patrii proprietate et perspicuitate laudatissimus.

Omnino Kaestnerus exemplo docuit suo, quam proficuum et necessarium sit homini litterariam vitam amplexo, mature id providere, ne, dum vni disciplinae aut litterarum generi virium suarum vitaeque partem multo maximam, id quod iure facit, consecrat, ab aliis litterarum generibus omnibus prorsus refugiat; innumerorum enim bonorum fructus sibi ipse intercipit ex litterarum varietate percipiendos; virium ingenii augmentis naturalique vigore animi se ipsum fraudat, et doctrinae, cui deditus est, alimenta sibi subducit. Habitare necesse est in suo studiorum genere, verum non tanquam araneum in texti sui angulo latere abditum; exspatiandum, interdum peregrinandum est in finibus et in vicina excurrendum; ita recreatur ingenium, quod earundem rerum tenor taediumque obtulerat; et, quando ad studia sua redit, refectum, roboratum, aliarum rerum notitiis, tanquam novis opibus onustum, redditur iis studiis aptius ac salubrius. Neque tamen altera ex parte Kaestnerus ita a via deflexerat, ut, quod multi ex nostratibus committunt, in hac opera, externa in patrium sermonem vertendi, et aliorum meditata transferendi, ipse ab omni meditatione abstraheretur; ipse disciplinis suis pertractandis, dilucidandis, tradendis, operam adhibere non intermissam nunquam desistit.

Cum doctrinae suae ingenique famam iam esset consequutus, haud vulgarem, inprimis si annos expendas, quippe cum annuum aetatis ageret non nisi XXXVI. euocatus ab Immortali viro, ingeniorum aestimatore sagacissimo, Münchhusio, in Georgiam Augustam, inter praecipua eius decora, tandem sidus eius maxime conspicuum haberi coepit. Ad ultimas enim Europae partes perlata nominis fama non minus Academiae nostrae famae proferendae profuit; hoc enim illud est, quod nullis facile nec numeris nec mensuris comprehendas, nec vllis causis rationibusque satis definias, quantum, ut celebritatis, ita utilitatis, instituta litteraria ducant a virorum, qui in iis viuunt, celebritate; ita ut haud raro fieri possit, ut, cum ipsi, profitendo litteras ac docendo, minorem forte quam alii utilitatem afferant laudem habeant, nominis tamen sui celebritate efficiant, ut ex terris longinquis multi aduolent, qui erudiendos se tradant non ipsis illis, sed aliis diuersissimis doctrinae generibus.

Me in eruditionem Kaestneri variam et merita de disciplinis mathematicis physicisque enarranda et praedicanda euagaturum esse, hoc in confesso, Auditores, nemo facile expectabit; neque ego tam ineptus sum, ut onus tantum, cui ferendo, si quis alius, ego impar sum, in me recipiam; supersunt alii, qui id meliore fortuna aggressi magni viri ingenium doctrinamque feliciter declarabunt, et posteritatis memoriae consecrabunt *). Ad me tantum ea pars meritorum spectat, quae Societati nostrae Scientiarum decori et laudi fuerunt.

Adscriptus ille Societati inter amicos, antequam Lipsia in hanc Academiam esset euocatus, nunc cum aduenisset, annus Saeculi LVI. erat, locum iure suo occupabat inter Sodales ordinarios. Exulceratis iam tum per intestina dissidia animis Sociorum, cum vnum ex medio suo viderent clandestinis artibus viam sibi ad Directorium consequendum parare, quippe qui, cum per quatuor inde ab Halleri discessu annos Societati a secretis fuisset, nunc repente, Hambergero in suum locum substituto, in Sodalis ordinarii locum transierat, nunc nouas discordiae faces subiecit altercatio de loco, nouo Sodali assignando. In Sodalium ordinariorum numero tum erant Hollmann, Gesner, Mayer et Michaelis, qui sibi locum ante Mayerum vindicauerat; Extraordinarii autem erant Achenwall, Röderer, Zinn, Lowitz, Franz, von Justi. Cum consultum visum esset, hos omnes in ordinariorum locum transcribere, praeter opinionem, et expectationem decretum est. his omnibus in extraordinariorum subsellis relictis Kaestnerum solum in ordinariorum locum referre. Quo facto, cum tot viri doctissimi et meritissimi se honore debito priuatos posthabitosque viderent, quod facile expectares, omne consociationis familiarisque consuetudinis vinculum est dissolutum. Interuenit alia calamitas, de Commentariis et Relationibus de libris nouis prelo euulgandis exortae sunt rixae inter Michaelis et Luzacium operis conductorem; ita per plures annos nullae aut raro habitae sunt Recitationes; Commentariorum autem vulgandorum cursus prorsus fuit interceptus. Neque res lapsas restituere potuit, etsi varia molitus, Michaelis, cum post Gesneri mortem, voti compos factus, Directorium perpetuum adeptus esset a. LXI. Rebus Societatis ita afflictis, cum Holmannus quoque se sodalio abdicasset, equidem cum in hanc urbem aduenissem ante XXXVII. hos annos, ex antiquiore numero neminem in confesso videbam praeter Michaelis et Kaest-

*) De his ipse notabilia memorauit in vita sua Baldingeri Biographiis Medic. et Physic. inserta et in V. C. de Zach Ephemeridibus studia maxime astronomica sunt exposita.

Kaestnerum, cui repentino consilio nuper adiuncti fuerant Walch et Murray senior. Kaestnerum habui bonorum consiliorum participem in redintegranda Societate; ab eoque inde tempore de Societate meritis ille est constanti fide opera et cura; obseruatum est a multis, superiore aetate omnino collegiorum et sodalitorum necessitudines fuisse multo artiores, quam nostra aetate; imprimis vero eos, in quorum locum nos successimus, iura collegii academici et vincula officiaque sodalitorum multo sanctiora habuisse et diligentius coluisse, quam nostris moribus fieri videmus. Itaque Kaestnerus, qui famam Academiae, et litterarum vtilitates, aliquo in loco ponere solebat, Societatis officia sancte et religiose seruauit, et ne illa detrimentum caperet, sollicitè prouidit. Commentationes ab eo perscriptae et recitatae sunt magno numero: qui, si calculos recte pono, ad XLVII. *) assurgit. Praeterea eius opera imprimis fuit vberissima in recensibus litterariis, in quibus ille cum Hallero non modo certauit, superior quoque numero, nam disciplinae diuersitas temporumque vicissitudo, cum anatomica et physiologica studia Halleri aetate cum maxime arderent, obsuit, quo minus librorum recens e mathematicis disciplinis parem celebritatem assequi et lectorum animos pari studio allicere et tenere possent; talibus tamen facetiisque multi ex his recensibus se commendarunt, malignioribus maxime ingeniis. Ceterum vt magnam habebat ingenii celeritatem et ex usu facultatem, ita imprimis in eo erat exercitatus et tritus, vt facile dignosceret libros, qui digni essent diligentiore aliqua opera; sin in eos inciderat, qui non nisi sollennia, interdum vulgaria, operose exponerent, de quibus forte satius erat omnino nihil memorare, non ille nimis sedulus erat in vitiis castigandis, sed per summam ea, quae tractarentur, commemorare satis habebat. Nec vero intra disciplinarum fines se continuit, sed, cum immensae lectionis vir esset, etiam inferioris ordinis, etiam leuiores, imprimis lepidos, ioculares ac festiuos, libros ad recensum vocauit; hoc enim genus librorum ad remittendum et laxandum ingenium seponere solebat; nulla enim hora, etiam quae otio et hilaritati esset addicta, ipsi elapsa est, quin aliquid aut scriberet, aut legeret, aut medicaretur.

Hac studiorum diuersitate cum recrearet animum, corporisque valetudine vteretur recta et firma, qua destituti multi seueriorum studio-

*) XIV annis saeculi LVI - LXVI. quas vno volumine ipse edidit 1771. XIII. in Nouis Commentariis, et XX. in Commentationibus. Nouissima fuit: specimen analyseos geometricae cum algebraica comparatae anno superiore d. VI. Iulii recitata: excusa iam Tom. XIV. Commentationum.

studiorum assiduitatem per longam vitam perferre nequeant, contigerunt ipsi praeterea rara fortunae munera, quod ille nullis nec domesticis, saltem non diuturnis, curis et necessitatibus, nec aliis curis publicis priuatisque impeditam vitam egit. In solitudine ita vixit, ut consuetudine doctissimorum omnis aetatis ingeniorum vteretur, legendis eorum libris: lubenter tamen admitteret amicos, et, quotquot ad eum salutandum accederent, hilari vultu exciperet, et iocis facetiisque recrearet.

Verum neque haec, quae de vita eius priuata commemoranda aut ex parte excusanda suppeterent, huius sunt loci et temporis: Vti Kaestnerus, qui se hominem esse nosset, nihil humani a se alienum esse putauit, ita quoque hoc ipsum in magnum virum cadebat, quod naturae humanae imbecillitas in eum quoque ius suum seruauerat; tantoque eum magis labeculae hae decebant, quo pluribus maioribusque virtutibus eas eluebat. Odi hominem, qui ab alio id se postulare profiteretur, ut hominem exuat; humanitate enim deposita, natura alia non est quam induere possis; laruam naturae ultra humanam sortem positae assumere potes, non personam, non partes agere.

Quae omnia si ad calculos summamque reuocamus, fatendum est, rara Kaestnerum felicitate et prosperitate vitam exegisse, cum tot tantaque naturae bona cum tot fortunae muneribus ei obtigissent, in tali loco a prouidentia collocato, ut celebritatem nominis ingenio et doctrina partam ingenio et doctrina usque ad extremam senectutem, hanc que ipsam non decrepitam, tueretur; ut viribus iam corporis deficientibus, mente tamen et ingenio valeret eiusque facultatum compos esset usque ad extremum vitae halitum.

Commemorantur passim multa de populis, qui defunctos hilariter festisque modis et numeris efferre solebant, ipsi coronati, moxque ad epulas et vina conuersi. Sed causam hos praetendisse narrant, quod homines a miseriis vitae et laboribus liberatos laetari se dicebant. At in hoc viro, etsi grauiores laetandi causas praebet ipsa persuasio, ad ea loca et ad eos coetus eum iam peruenisse, in quibus ille cum sapientissimis et iustissimis animabus beatissima vita fruiturus est, hoc tamen iam satis esset ad laetandum et gratulandum, quod, cum vitam satis ex voto exegisset, exitum quoque habuit, quem votis sibi quisque suis expetat; tam placide enim et tranquille exspirauit, ut nec mori se sentiret, neque se morituum esse animo praeciperet. Ut adeo ille cum Ennio hoc sibi ipse condere posset epitaphium:

*Nemo me lacrimis decoret nec funera fletu
Faxit; quur? uolito uiuos per ora virum.*